

FRANCISCI DUCIS GUISII: CU-
sus Aurelijs obsidione cinctis. Anno Chri-
sti 1563.



FRANCISCUS Guisus, partâ victoriâ Drocensî, efferri animo, eundemque ad similia facinora adijcere cæpit: inprimis Aureliarum moliri obsidionem: cujus defensionem Andelotus cum Passo Fequerio in se receperat. Olivetum, quo castra sua promoverat Guisus, non tam obstinatè defendere decreverat Andelotus, quam Regios aliquanto tempore distinere, dum impedimenta & privatorum res in urbem recipi accomportari possent: & postea igne injecto locum vastare. Cùm verò postridiè Guisus per Sipe-
tram vi maximâ suburbium oppugnaret: tanta Gallos simulatque Germanos invaserat consternatio, plerisque in flumen subjectum se præcipitantibus: ut nisi Andelotus cum delectâ nobilitate accurrisset, eodem impetu Turriculæ & Insulæ subjectæ, & fortassè etiam urbs, consternato metu milite, in potestatem victoris pervenisset. Capto suburbio ex domibus vicinis, cum in Turriculas & Insulas despectus esset, defensores admodum infestabantur, donec doliario septo tumultuariâ operâ erecto, protecti sunt. Assiduè interea ad Turriculas pugnabatur, quæ tandem defensorum socordiâ ac securitate captæ sunt: duobus militibus per scalam, cum nullas vigilas animadverterent, in altum evadentibus, & inopinato suo ingressu præsidiarios terrentibus: qui relictâ scalâ, per quam præcipitanter descenderant, aditum ad pontem & Insulas occupandas facilem insequentibus fecerunt, tantâ consternatione omnium, ut, nisi Andelotus rursus accurrisset, eo die de rerum summa actum fuisse credatur. Verum impetum sustinentibus regijs, & ob tam subitam hostium fugam fraudem subesse suspicantibus, obsessi geminatâ clade territi animos colligere, ac porrecto ponte